

vulgò traditur, impossibile penitus haut videri, ut scilicet ejusmodi arca ferrea, non quidem inter duos magnetes liberè pendula, sed infernè funiculo alligata supernè verò à magnete validissimo tracta, ut loquimur, in aère suspensa cerneretur.

V. Præcipuum verò nostrum experimentum magneticum, hoc loco memorandum, circa acum magneticam grandiore se se nobis obtulit, quam possidemus ex liberalitate Fautoris & Amici cujusdam nostri de re magnetica optimè meriti. Est acus illa supra pedem Rhinl. septem pollices ac præterea tres lineas longa, ab artifice peritissimo magnâ curâ elaborata & accuratissimè librata, in eum maximè finem, ut hujus ope variationes declinationis eò distinctius notare liceret, quò majoris circuli arcum ejus excursus essent descripturi; quem in finem etiam intra capsam scitè fabricatam conclusa &, ne ab aëris fluctuatione commoveri posset, operculo recta erat, per cujus fenestellam vitream extremitati boreali B (Fig. 45. num. 3.) imminentem hæc ipsa extremitas ejusque decursus per arcum orichalceum GH in gradus & minuta divisum, distinctè videri poterant. Sed frustra fuimus ac vim directivam in hac acûs longitudine, omni licet adhibito consilio, debilem ac incertam semper sensimus. Cui adaugendæ cum magnetem validiorem frequenter admoveremus, admirabundi tandem observavimus, eundem magnetis polum, qui aliàs extremitatem acûs unam allicit oppositam verò repellit, in grandiore hac extremitatem utramque allicere, alterum verò utramque repellere. Et quidem (ut paulò determinatiùs rem exponamus) australis magnetis polus (voco autem hîc australem qui austrum, borealem qui boream ordinariè respicit) utramque acûs polum tam australem A quàm borealem B admotus propiùs, alliciebat, alter verò nempe borealis utrumque repellebat; circa centrum librationis autem in E vel F applicatus idem magnes acum sine discrimine trahebat, sive boreali

Phæn. V.